

3. SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA, 15 settembre 2017, Prot. N. 52545/17 CA, Decreto, Ecc.mo Ricorrente – Pontificio Consiglio per i Laici, *di prescrizione penale e riparazione dei danni*.

Recursu contentioso amministrativo in causa de qua supra, decreto die 20 martii 2017 ab Exc.mo H.S.T. Secretario lato, in limine reiecto, recurrit Cl.mus Exc.mi Recurrentis Patronus ad Congressum.

Positis ponendis, memorialibus nempe a Cl.mis partium Patronis porrectis, voto Rev.mi Promotoris Iustitiae prompto iisque scripturis more solito commutatis ad facultatem respondendi cuique agnoscendam,

*Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal*

Prae oculis habito argumento principali, quod Cl.mus partis recurrentis Patronus contra decretum reiectionis in limine protulit, id est praescripti can. 1399 fine: «Admissa violationis gravitate, quomodo – si triennalis praescriptio admitteretur – urgentiae – si et quatenus, triennio expleto, utcumque adsit – ab ipso iure divino requisitae, “scandala praevenienda vel reparandi”, provideri possit?»;

Considerato ad rem quod:

- «a priori et absolute reicienda est, ut prorsus abusiva et naturae legis contraria, interpretatio legis quae, formula verbali penitus neglecta vel tamquam quid secundarium considerata, ex solo fine legis voluntatem legislatoris investigaret eamque, secundum huius finis exigentias, ultra omnem verborum sensum, determinaret» (G. MICHIELS,

*Normae Generales Juris Canonici. Commentarius Libri I Codicis Juris Canonici*, I, Parisiis-Tornaci-Romae 1949<sup>2</sup>, p. 540);

- saltem ex praescripto can. 1315, § 1 deducitur legem divinam lege poenali passim ditari, quin ob hanc causam lex poenalis praescriptioni communi obnoxia esse cesset;

- praescriptum can. 1399 Legislator voluit non autem ad crimina longe praeterita, sed ad crimina seu delicta, specialis quidem gravitatis, innominata, seu extra poenarum indicem in Codice vel aliis legibus haud adamussim distincta, punienda;

- si praescriptum can. 1399 obnoxium non esset praescriptioni communi, in absurdum cederetur, nam omnia delicta ibidem recensita, nulla distinctione inter factispecies peracta, impraescriptibilia efficerentur;

- Legislator, qui praescripto can. 1362, § 1, sub num. 2 a praescriptione communi seu triennali quasdam actiones excepit, nominatis canonibus 1394, 1395, 1397 et 1398, negligit tamen mentionem ibidem addere praescripti can. 1399; quae omnia effato "quod Legislator voluit dixit, quod noluit tacuit" satis explicantur;

Reprobata improbatione adversus duas decisiones rotales, quasi «de illius Ponentis interpretatione» ageretur, et quidem a Cl.mo partis recurrentis Patrono prolata, quippe qui ne unam quidem decisionem contrariam adducere valuerit;

Confirmatis omnibus et singulis argumentis ab impugnato H.S.T. decreto prolatis necnon pertractatione recursus adversus statuitiones de damnis ad ulteriora remissa;

Vi artt. 76, § 4 et 83, § 1 H.S.T. *Legis propriae*;

Re sedulo examini subiecta in Congressu, die 15 septembris 2017 coram infrascripto Praefecto habito,

*decrevit:*

*Confirmandum esse et facto confirmari decretum die 20 martii 2017 latum, quo recursus reiciebatur utpote indubie et evidenter quovis carens fundamento.*

Cautio a parte recurrenti pro expensis processualibus apud arcam H.S.T. deposita retinetur. Partes suo quaeque Patrono congruum solvant honorarium.

Et notificetur omnibus quorum interest ad omnes iuris effectus.

Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 15 septembris 2017.

Dominicus Card. MAMBERTI  
Praefectus  
✠ Iosephus SCIACCA  
Secretarius